



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

30. Aliàs fel. rec. &c. Bulla Benedicti XIII. quâ Consultores Regularium  
inservientes Indici Librorum prohibitorum debent manere in Urbe Roma  
modò solvant pensionem annualem domus in quâ habitant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



A N N O  
1726.

que facultatis, exemptiones, prerogativas, Indulgentias, & praerogativas, in praedicta Constitutione nostra, Paterna sedis Apostolicae providentia, ministro Generali totius ordinis fratrum minorum, beati Francisci, qui observantes dicuntur, in propriis Tertiarios a nobis indultas, pariter indulgemus eisdemque extendimus ad Ministrum generalem fratrum minorum, qui Conventuales dicuntur, super Tertiarios, eidem ordini & ministro Generali subiectos; volentes praeterea & statuentes, ut hi Tertiarii subsint uni eidem ministro Generali fratrum minorum Conventualium, praeterea Nemini; utque ad unum eundem ministrum Generalem dumtaxat, & non ad alium quemcumque, in quibuscumque locis, Civitatibus, provinciis & regnis, etiam ubi alii Tertiarii sunt, spectet instituire, condere & propagare eundem suum ordinem, utriusque sexus Tertiarios, de poenitentia nuncupatum; quaeque illorum profectum spirituale respiciunt, stabilire & decernere, illos corrigere & reformare, & omnia disponere, quae iam laudata Constitutio nostra Ministro Generali fratrum minorum observantium in propriis Tertiarios disponenda concedit. Etenim aequum est, ut ministro Generali ordinis Fratrum minorum Conventualem beati Francisci, qui inter ceteros ordines, sub uno & eodem Seraphico patre, & capite Deo famulantes, vetustissimus est, omnem jurisdictionem, auctoritatem, facultates & gratias in tertii ordinis, ab eodem celeberrimo Confessore instituti, poenitentis, indulgemus, quae aliis fratribus minoribus indulta fuerunt, maxime cum ejusdem Seraphici patris & Confessoris Corpus requiescat in eorumdem fratrum Conventualium Basilicae Coenobii Assisientis, quam propterea esse caput, & matrem totius ordinis fratrum minorum felicitis recordationis antecessores nostri Romani Pontifices suis Apostolicis literis decreverunt, nimirum Gregorius IX. Incipientibus: is, qui Ecclesiam suam, datis Laterani X. Kalendas majas Anno MCCXXX. Pontificatus IV. Clemens IV. literis pariter incipientibus: is, qui Ecclesiam suam, datis Perusiae XVII. Kalendas majas Anno MCCLXVI. pontificatus II. Nicolaus III. literis incipientibus: Gloriosissimi Confessoris, datis Reate pridie idus majas MCCLXXVII. Pontificatus I. & Sixtus IV. literis incipientibus: ad Insignem, datis Romae VI. idus Decembris Anno MCCCCLXXX. pontificatus V.

IV.  
Tertiarii fratrum minorum conventualium fruuntur privilegiis & gratiis spiritualibus, quae ceteris tertiariis concessa fuerunt.

V.  
Clausulae derogatoriae & Censurae in contrariis facientes.

Volumus etiam, decernimus, atque statuimus, ut Tertiarii, directioni Ministri Generalis fratrum minorum Conventualium subiecti, omnino gaudeant & fruuntur omnibus exemptionibus, immunitatibus, prerogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis & favoribus spiritualibus & temporalibus, quas Antecessores nostri Romani Pontifices iisdem largiti fuerunt, quae propter has iterum approbamus, confirmamus, atque concedimus, eisdemque etiam omnes & singulas, quas pridem concessimus in eadem Constitutione nostra, quae incipit: Paterna sedis Apostolicae providentia; decernentes tamen & declarantes, ut quacunque consuetudine in contrarium non obstante, memorati Tertiarii, directioni & correctioni Ministri Generalis fratrum minorum Conventualium subiecti, vestes religiosas, colore & forma tertiariis proprias, induant, eo prorsus modo, quem Romani Pontifices suis Apostolicis literis observandum praescripserunt, ad hoc, ut iisdem indulgentiis & gratiis frui possint.

Hac vero universa Ministro Generali fratrum minorum Conventualium in Tertiarios ei subiectos, praesentibus literis nostris concessa, ita, & non aliter judicari & firma, atque inconcus-

sa ab omnibus haberi statuimus; non obstantibus ordinationibus, & constitutionibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque, quibus quatenus opus est, derogamus, easque abrogamus, proque abrogatis, derogatis & nullis hac in re haberi volumus; poenam Excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro arbitrio nostro iis interminantes, qui contraire, vel temerario ausu ea impugnare praesumpserint, quae hac nostra Constitutione firmamus atque decernimus: ob cuius plenam perfectamque observantiam injungimus venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorumdem Vicariis & ministris, ut pro horum omnium plena executione tuenda, auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii saecularis.

Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemptis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis, Ministris vel procuratoris generalis dicti ordinis fratrum minorum Conventualium, sive Notarii publici subscriptis, & sigillo officii ejusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius ordinis, vel cujuscumque personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, praeccepti & derogationis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Dominicae Incarnationis millesimo, septingentesimo vicesimo sexto, tertio nonas Julias pontificatus nostri Anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro Domino Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

V I S A.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinectus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Bulla Benedicti XIII. qua Consultores Regularium inservientes Indici Librorum prohibitorum debent manere in Urbe Roma modo solvant pensionem annualem domus in qua habitant.

XXX.

B E N E D I C T U S P A P A XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Alia fel. rec. Clementi P. P. X. Praedecessori nostro pro parte tunc existentium Consultorum Congregationis etiam tunc existentium S. R. E. Cardinalium Indici Librorum prohibitorum, & expurgandorum praeposita expofito, quod rec. mem. Alexander P. P. VII. pariter Praedecessor noster, Anno 1659. decreverat, & declaraverat, non licere Superioribus Regularibus remove ab Urbe, ac a suis Conventibus suos

A N N O  
1726.

VI.  
His literis fides u biqu adhibeatur.

VII.  
Nemo has literas infringere audeat.

9. Julii  
1726.



A N N O  
1726.

Subditos Regulares inservientes dictæ Congregationi in Officio Judicis Consultorum, quia talis remotio cedebat in præjudicium ipsius Congregationis, quæ alios Consultores inexpertos, veteranis, & expertis substituere constringebatur, hocque decretum Superioribus eorundem Regularium à tunc itidem existente Congregationis prædictæ Secretario intimatum fuerat, dicti verò exponentes, quò quietius, majorique studio huic Sanctæ Sedi obsequium præstare valerent opportunè sibi in præmissis à præfato Clemente Prædecessore provideri plurimum desiderabant; idem Clemens prædecessor justis eorundem exponentium petitionibus favorabiliter annuere volens, supplicationibus etiam memoratorum Cardinalium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ac supra expressum Alexandri Prædecessoris decretum approbans, & confirmans, omnibus, & singulis tam tunc præsentibus, quam futuris Superioribus Generalibus, & Provincialibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti Auctoritate Apostolica præcepit, & mandavit, ut tunc, & pro tempore existentibus Consultoribus Regularibus Congregationis prædictæ suis respectivè Subditis Conventualitatem in Collegiis, seu Domibus Regularibus in Urbe prædicta existentibus, in quibus literarum studia vigerent, quò commodius ejusmodi studiis, dictæque Sedis obsequiis incumbere valerent, si adessent, sin minus in aliis Monasteriis, Conventibus, seu Domibus Regularibus suorum respectivè Ordinum, Congregationum, & Institutorum in eadem Urbe positis, absque ulla mora, vel tergiversatione concederent, & assignarent; ipsos autem Consultores inde nisi causis ab eadem Cardinalium Congregatione, illiusque Secretario pro tempore existente benè examinatis amoveri nullo modo posse auctoritate prædicta statuit, & ordinavit, & aliàs prout in prædicti Clementis Prædecessoris literis die 5. Decembris MDCLXXIII. desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Hinc est, quod Nos præmissorum robori, & inviolabili observationi opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine, enarratas Clementis Prædecessoris literas auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus etiam opus sit innovamus. Præterea, ne privilegium hujusmodi Consultoribus dictæ Congregationis per supra dictas literas concessum, Conventibus, & Domibus Regularibus onerosum sit, eisque ab illa obedientia, quam professi sunt se se subtrahendi stimuli addantur, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præcipimus, & mandamus, ut in posterum unus dumtaxat ex Ordinibus Regularibus Congregationis prædictæ Consultor esse, ac ejusmodi privilegio frui possit, illoque vivente, alii, qui ad Consultoris munus hujusmodi assumpti fuissent, eodem privilegio potiri nequeant, sed in eadem Urbe de Superiorum suorum licentia permanere volentes, Conventibus, ubi ab iisdem Superioribus collocabuntur, alimenta ad rationem duorum juliorum singulis diebus perolvere teneantur, & inde à suis Superioribus toties, quoties ipsis benè visum fuerit, etiam extra eandem Urbem miti possint, nec isti privilegium prædictum etiam à Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris absque speciali derogatione, & præsentium nostrarum literarum mentione impetrare queant. Declarantes ulterius, quod ejusmodi privilegium Consultoribus prædictæ Congregationis dumtaxat concessum sit, &

quod tam memorati Consultores privilegio hujusmodi gaudentes, quam pariter alii illominimè fruente socium sibi additum habere, nec postulare valeant, sed illum volentes, & à suis Superioribus permissum, alimenta pro eodem socio, sicut præmittitur, præstare debeant. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac prædictis Consultoribus Regularibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quolibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatà eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Provinciarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Domorum Regularium, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegii quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & Domibus Regularibus, illorumque Superioribus Generalibus, & Provincialibus, aliisque Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoris, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formà in illis traditã observatã exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Secretarii supra dictæ Cardinalium Congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1727. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Card. Oliverius.

A N N O  
1726.21. Aug.  
1727.



ANNO  
1726.

XXXI.

De beato Jacobo à Marchia ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sanctorum confessorum canoni per eundem adscripto die 10. Decembris anni 1726.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

I.  
Servorum Dei merita per summum Pontificem toti Ecclesie manifestantur.

II.  
Jacobi à Marchia ortus, vitæ ratio, pie acta, obitus, miracula, & veneratio.

Summi Dei gloria maxime postulat, ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus & miraculis, quæ Christus Dominus per servos suos operari dignoscitur, illorum memoriam super candelabrum totius Ecclesie collocari decernat, unde universis Christi fidelibus clara lux effundatur, qua per viam salutis tuto ambulantes, eorumdem exemplis & patrocinio in superna tabernacula perduci mereantur.

Itaque nos animo revolventes, beatum virum Jacobum à Marchia, Christiani virtutibus, signisque, omnipotentis Dei manu per merita ejus patris, excelluisse, quem in Piceni agro Asculano ortum anno Christi Domini MCCXCXI, pieque educatum, inter suos excepit ordo Fratrum Minorum, qui à regulari observantia nuncupantur, in hanc deliberationem maturo consilio devenimus, ut eum, celestium donorum copia spectatissimum, aspero vitæ genere insignem, & compluribus Legationibus pro re Christiana susceptis de Ecclesia præclare meritum, ac jamdudum beatis adnumeratum, in plenario conventu, sanctorum confessorum canoni adscriberemus. Etenim Dei virum beati Bernardini Senensis discipulum, inque avertendis ab agro Dominico inguentium contagionum afflatibus, beati Johannis à Capistrano socium, magna quæque commendans, quippe quem ut vitæ sanctimonia percelebrem, à Cæsaribus, Regibus & Principibus pro religionis causa expetitur, septemque decessorum nostrorum pie recordationis Romanorum Pontificum, Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Calixti III. Pii II. Pauli II. & Sixti IV. Legationes contra hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patrenos, Hussitas, Thaboritas & Turcas ipsos, magna doctrinæ & zeli Apostolici laude in Italia, Pannonia, Germania, Bohemia & Sarmatia, per innumera vitæ pericula, obeuntem, universa Ecclesia mirata est. Quare probatissimum virum, qui multis magnisque meritis plenus VI. Kalendas Decembris anno MCCCLXXXV. Neapoli in Campania obdormivit in Domino, per plura miracula nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in æde Sanctæ Mariæ novæ corruptionis expertibus ac suavi & perenni odore perfusus, indeque inelytum reddiderunt: quas quidem exuvias nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, carissimo in Christo filio nostro Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut Carolo V. Romanorum Imperatore, apud felicis memoriæ antecessorem nostrum Clementem Papam VII. flagitante, de Jacobo inter Sanctos referendo actum fuerit; atque iterum Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico adnente apud similis memoriæ decessores Paulum V. & Urbanum VIII. qui Jacobi virtutibus & miraculis comprobatis, officium de eo recitare, missamque in ejus honorem, universo ordini Fratrum Minorum, ac toti civitati & diocesi Neapolitanæ, cujus patronus electus fuerat, decreto Apostolico celebrari permittit.

Deinde novis miraculis post Jacobi beatificationem per venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram nobis in examen adductis, decessorumque nostrorum constitutionibus respondere omnino reperiis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, quum pro beato Jacobo sanctorum confessorum fastis adnumerando Regum & Principum Christianorum supplicationibus sanctæ Apostolicæ Sedi porrectis, etiam ordo Fratrum Minorum cum Neapolitana & Asculana civitatibus suas adjunxissent, solemnem cæremoniæ & maximo ritui de more complendis die indicta, perque orationes, jejunia & eleemosynas, ope omnipotentis Dei ferventissime implorata, ac universis, quæ ex S. R. E. disciplina peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem antecessoris nostri pontificis & martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, nos ipsi una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanciam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei Jacobo à Marchia in sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, repetitis precibus, post cantatas de more orationes, & Spiritus sancti gratiam humillimè invocata, ad honorem sanctæ & individue Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Jacobum à Marchia ordinis Fratrum Minorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, una cum beatis Thurbio Archiepiscopo Limano confessore pontifice, & Agnetæ Politiana virgine nostri ordinis Prædicarorum, sanctum esse definitivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumque per omnes Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacre & altaria, in quibus inguentium sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis IV. Kal. Decembris, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus verè penitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Jacobi à Marchia quotannis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragesimam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis penitentis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam

ANNO  
1726.III.  
Beatus Jacobus sanctis adscribitur.

IV.  
Indulgentiæ ejus exuviis visitantibus concessa.

V.  
Missæ celebrata à Pon-